



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De commutatiojne Votorum præter excepta, parag. primo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

gentiis concedendis, sicuti se habet in casibus modo num. 3. dictis. Et certe cum requisita, ad Indulgentias acquirendas, sint, ut plurimum, varia, & sub variis conditionibus ponenda, ut hæc apponantur, debent sciri, & consequenter regulariter semper aderit acquirendi intentio.

16. Illud (ne erres) adverte. Nam Indulgentiam lucrari volens quis pro Defuncto, vel sua opera applicare pro ejusdem Defuncti satisfactione, debet habere necessario intentionem determinatam lucrandi, & satisfaciendi pro eo. Ratio est, quia adest quidem illa intentio implicita lucrandi sibi per suum bonum opus, quantum potest, non autem ad est lucrandi pro alio, & ita docet idem a Delugo.

rationem, de hac etiam præcipue nostra locutio.

2. Ea autem triplex esse potest, vel enim votum commutatur in minus, ut Jejunium in unum Pater, & Ave, vel in majus, ut Pater, & Ave in Jejunium, vel in æquale, ut Jejunium diei V. G. Veneris in crastinum diei V. G. Sabbati.

Porro in minus nihil potest per Bullam, quia illa potius est Dispensatio, quam Commutatio. In majus non est necessaria Bulla, quia quilibet ex se potest sibi commutare in majus, ut late alibi b diximus.

3. Bulla ego solum proderit, ut tuus Confessor per illam electus possit tuum votum in æquale commutare. Sed quia, ut ibidem diximus, est probabilis opinio, posse quemlibet ex se suum votum commutare in æquale, quia Deo æque satisficit per æquivalens, ideo, ut per Bullam aliquid amplius habeatur, concedimus, satis probabiliter posse per eam commutari votum in aliquod aliquanto minus, non verò minus notabiliter. Hæc ibidem tractata latius habes, & videri possunt apud Castropalaum aliosque.

4. Scio autem, valde operosum esse, dig- noscere hanc æqualitatem, vel quasi æqualitatem in his votorum commutationibus; sed ego ibi, quantum potui, Regulas, & exempla id cognoscendi, diligenter tractavi. Illud nunc scias, à Castropalao, æqualitatem hanc relinqui tandem decernendam à prudenti Confessario, qui, eo ipso, quod bona fide procedat, commutatio effectum habebit.

#### Quis Confessarius.

5. **H**is ita constitutis. Inquires Primò. Quinam Confessarius requiritur ad hanc commutationem expediendam? Respondeo. Quem tu, habens Bullam, volueris, dummodo sit approbatus ab Ordinario modo supradicto.

6. Primò igitur non est satis quilibet Sacerdos, quia id tam ample non concedit Bulla. Secundò, non est necesse, ut Commutatio fiat in ipsa Sacramentali Confessione, quia hæc restrictio non habetur in Bulla. Terriò, nec est necesse, ut qui commutat sit tuus Confessarius, dummodo Confessarius modo dicto

### CLAUSULA DUODECIMA.

Item sumentibus Bullam conceditur, vota omnia, ultramarina, Castitatis, & Religionis exceptis, in aliquod subsidium hujus expeditionis per eundem Confessorem commutari.

### CAPUT XIII.

De septimo Bulla Privilegio, hoc est, de Commutatione Votorum.

**N**on loquimur hic, an potestatem habeat Commissarius Cruciatæ commutandi vota Fidelium, sed de ea, quam habet Confessarius electus à poenitente habente Bullam. De Commissarii enim Potestate non est hic agendæ locus.

#### §. I.

De Commutatione Votorum præter excepta.

1. **D**iffert Voti Commutatio à Dispensatione. Nam commutare est transferre vinculum & obligationem voti ex una materia in aliam, ut ex Jejunio in flagellationem. Dispensare autem est, Vinculum voti omnino relaxare; quæ Dispensatio aliquando est in totum, aliquando ex parte juxta gravitatem causæ. Quoniam vero per Bullam nullum tibi conceditur Privilegium, quoad Dispensationem, sed soluta, quod Commu-

a Delugo  
ibid. l. c. n.  
74. & disp.  
24. nu. 28.

b Libr. 3.

in Decal.

c. 16. §. 5.

c Castrop.

T. 3. tr. de

Votop. 14.

Suar. l. 6.

de Voto c.

12. & 17.

Sanch. l. 4.

summ. c.

50.

d Castrop.

de Bull.

disp. us.

pu. 9. nu. 6.

Cc 2



dicto sit, quia Bulla requirit quidem Confessarium, sed non dicit, debere esse tuum.

*Causa, ex qua prædicta Vota commutari valeant.*

7. **I**nquires secundò, quænam causa requiritur, ut ejusmodi commutatio valide, & licitè virtute Bullæ peragatur?

*a Lessius de Voto du. 11 num. 96.*

Respondeo. Profectò ad Dispensationem voti major requiritur causa, quam ad Commutationem. Quoniam vero nostrum est, loqui solum de Commutatione, dicò universaliter requiri causam leviolem ad illam, quam ad Dispensationem, & a Lessius quidem affirmat, in Commutatione voti quocumque faciendâ, sufficere propensionem solum votantis, placet enim id Deo, ut sic magis hilariter Vota Fideles observent. Atque id, ut dixi, universaliter loquendo. At in nostra Commutatione faciendâ ex vi Bullæ, aliam habemus causam, quam requirit Pontifex in ipso Bullæ tenore. Nam præter eleemosynam illam, quæ pro Bulla porrigitur, requirit aliud, nimirum quod, qui velit vi Bullæ sibi votum commutari, det aliquod subsidium pro Belli expeditione contra Infideles.

8. Sed ecce Difficultas admodum agitata inter Bullæ Explanatores. Ecquòdnam est hoc subsidium, temporale ne, id est, aliqua alia eleemosyna, an spirituale, id est, aliqua V. G. oratio?

*b Castrop. de Bull. dis. un. pu. 9. nu. 7.*

Alphonsus Deza, aliique, quos citat, sed non sequitur b Castropalaus, probabile docent, sufficere spirituale, maxime si votens sit pauper, quia Bulla dicit *in subsidium*. At spirituale subsidium, subsidium est.

*c Idem l. c. num. 9.*

9. Suarez, Sanchez, Henriquez, aliique apud eundem c Castropalaum asserunt, fieri posse in subsidium partim temporale, partim spirituale, nescilicet multum detrahatur de subsidio temporali, si solum spirituale satis sit.

*d Galleg. Claus. 9. n. 160.*

10. Castropalaus vero loc. cit. alios adducens, docet esse omninò temporale, nam ex modo loquendi, & sine Bullæ, quæ concessa fuit ad congregandam pecuniam contra Infideles, aliud subsidium non intelligitur, nisi temporale.

11. Ego omnino Castropalaum sequor, in qua sententia me firmavit d Gallegus. Is enim postquam (probans Castropalaï sententiam)

atrilisset Petrum Ledesmam, Sotum, Aloysium Lopez, aliosq; citat Machadum longam tractationem, hac de re ita concludentem. *Verum hac ætate cessat omnis de hac dubitatione controversia: siquidem Commissarius Generalis Cruciatæ, cui de Jure competit declarare dubia, qua se offerunt circa Bullam Cruciatæ, expresse declaravit, Commutationem votorum omninò faciendam vi Bullæ in subsidium temporale; idq; præcipit omnibus Confessariis sub pœna excommunicationis, quam Declarationem publicavit anno 1642. Lege Gallegum, qui ponit formalia verba prædictæ Declarationis.*

12. Praxis autem, cui in hoc Regno Siciliae consignata sit hæc pecunia pro commutatione Voti datur in Instructione, quàm pro Prædicatoribus Bullæ Commissarius Generalis hujus ejusdem Regni publicavit, hic Panormi, ac typis impressis evulgavit, ubi num. 4. sic habetur.

*Quarto s' avverte, che i Penitenti da loro stessi ripongano nella Cassa, che sarà riposta nella Chiesa, o Chiese à talo effetto, doue sarà scritto (cassa di Compositione) tutta quella somma, che i loro Confessori havranno ordinato pagare, altrimenti facendo, non hanno compilito con l' obbligo loro, ne sono commutati i loro voti.*

13. **N**Ota autem aliam esse praxim, si quando expediatur Compositio ab ipso Commissario in his materiis, quas ipse expedire potest, nam de hac Compositione ita habetur in prædicta Instructione.

*Si da notizia à tutti li Penitenti, che quella eleemosyna, che li sarà tassata dal Commissario Generale della Santa Cruciatæ per alcuna Compositione, o dispensa, sono obligati detta eleemosyna pagare al Tesoriero Generale della S. Cruciatæ, o à suoi Procuratori legitimi in presenza di detto Commissario Generale, o degl' altri suoi Delegati che facessero, se non, la detta Compositione o Dispensa è nulla.*

14. **R**ogas. Quantam eleemosynam debet taxare Confessarius, ad commutandum meum votum, quam ego deinde in prædictam Cassam inferre debeam? Respondeo, tantam esse taxandam, quantam, juxta qualitatem Personæ, ejusque facultates, ac juxta gravitatem voti, omnibus circumstantiis consideratis, judicabit Confessarius, id quod certè non, nisi ex ejus prudentia, ac judicio, hic, & nunc decerni potest.

Vota,



*Vota, ad quæ se extendit Commutatio per Bullam.*

15. **Q**UÆ vota commutari queunt per Bullam? Respondeo. Omnia, præter Votum Castitatis, Religionis, & Peregrinationis Hierosolymitanæ. Hæc autem quando in aliquo deficiunt, an possint etiam commutari, dicam mox §. 2. Omnia, inquam, siue sint Personalia, siue Realia, siue mixta; ut item, siue fuerint emissa ante, siue post promulgationem Bullæ.

16. Huc etiam reducunt aliqui, Votum, quod tu recordaris emisisse, sed oblitus es ejus materiam, posse enim commutari, docet *Sanch. l. 4. Sanch. quia adhuc est Votum. Id tamen negat Suarius, siquidem commutatio, ait, quæ debet esse prudens, non potest fieri in incognitum.*

Sed profecto, quandoquidem est probabilis opinio, te, si voti es oblitus, ad illud non obligari, quia nescis, quid operis facturus sis, tamquam ex voto, parum utilis est hæc quaestio, quoad praxim.

18. Porro hæc proprio in loco sunt quinque exagitantæ difficultates.

**PRIMA, ET SECUNDA DIFFICULTAS,**  
*De Voto non petendi Commutationem.*

**P**rima, an Confessarius electus possit commutare votum, quod quis emisit de nõ petenda Commutatione sui Voti, V. G. Ieiunii.

Respondeo valide posse, (nam, num licite id petat Vovens dicam mox.) Ratio est, quia hæc Voventis voluntas non tollit à Confessario electo potestatem commutandi, hoc enim votum non est ex exceptis, quare poterit Confessarius commutare prius hoc Votum non petendi Commutationem, & deinde commutare poterit ipsum Votum. Idem dic, si vovisti, non petere Commutationem, nisi à Pontifice immediate: nam, propter eamdem rationem, adhuc per duplicem dictam Commutationem poterit Confessarius electus tibi consulere.

19. Verum insurgit Secunda Difficultas, an scilicet peccet, qui petit Commutationem Voti, si voverat, se illam non petiturum.

Respondeo. Gallegus *putat, hunc, peten-*

do commutationem, valide quidem commutationem recipere, sed peccare, quia facit contra Votum, illam petendo, quam non petere promisit Deo.

20. Verum, ut huic difficultati plene satisfiat, recolenda sunt prius ea, quæ alibi dixi, *c. Lib. 3. in ubi sic habeo. Votum non petendi sine causa dispensationem vel Commutationem Voti facti, vel faciendi, validam pronuntio, quia ad prudentiam pertinet, nolle sine causa à Voti obligatione eximi. At Votum non petendi Dispensationem, vel Commutationem absolute nequaquam valere, puto cum Sanch. d. quia impedit majus bonum præsens, nempe libertatem petendi dispensationem, quæ aliquando necessaria, vel saltem valde utilis, erit voventi. Haftenus ibi.*

21. Ex quibus concludendum est. in casu, quo validum fuit Votum, te sane peccaturum graviter, vel leviter (juxta gravitatem, vel levitatem Voti) si contra illud agas, & commutationem petas sine causa, quia contra Votum agis. At in casu posteriore, quando Votum non fuit validum, non peccabis, idque ex prædicto capite, quia nimirum contra nullum Votum facis. Immo tunc commutationem Voti non indiges; siquidem votum non habet, qui invalide vovit.

**TERTIA DIFFICULTAS.**

*De Commutatione pœnæ Voti.*

22. **T**ertio. An possit commutari pœna, quam sibi quis incurredam imposuit, si votum frangeret. Emisit V. G. quis votum non ludendi, quod si luderet, sibi in pœnam non servati voti, imposuit, ut obligaretur aliquid pium facere, puta elemosynam pauperi, vel Ecclesiæ tribuere, jejunium unius diei servare &c. Difficulus, inquam, est, an hæc *e Sanch. de elemosyna, vel jejunium possit per Bullam commutari?*

23. Respondeo Posse. Quia hæc pœna est debita propter relationem quasi essentialem, qualem habet ad votum. Concessa ergo facultate per Bullam circa votum, concessa intelligitur circa hanc pœnam. Ita Sanc. *e con- tra Sayrum. f. Confirmat Trullench, g. quia n. 20. vorum absolutum, & directum quodammodo videtur magis obligare ad materiam, in Bull. quam directe cadit, V. G. ad omissionem ludi, §. 7. ca. 3. quam ad pœnam, in quam videtur votum ca-*

*de*



dere indirec. Si ergo potest Bulla in prius, quod est majus, multo magis in posterius, quod est minus.

24. Hinc ergo fit, ut sicuti per Bullam potest commutari in opus pium æquale, vel quasi, juxta superius dicta, Votum, quod, quis absolute emittat de elemosyna alicui Pauperi vel Ecclesiæ danda, saltem quando Ecclesiæ, vel Pauperi non accepta vit (quod omnes concedunt) quia non est ex exceptis; Ita potest votum alterius materia V. G. Votum Jejunii, quod quis emittit sub dicta pœna dandi elemosynam, atque hoc non solum ante, quam votum fregit, sed item post voti fractionem, seu etiam post multas fractiones, & consequenter postquam contraxit debitum solvendi illam elemosynam, quamvis magnam.

25. Adverte hic tria. Primo si petis, & obtines commutationem voti pœnalis, nō propterea statim intelligeris obtinere commutationem pœnæ jam contractæ, si forte dictam votum fregisti; sed debes petere, & obtinere expresse commutationem dictæ pœnæ.

Ratio est, quia non eo ipso, quod habes commutationem unius, habes, & alterius; Confessarius enim dum commutat, solum ad illud dirigit commutationem, quod tu explicuisti. Ita Suar. Sanch. Rodriq. Lud. à Cruce cum a Trulleuc.

a Trull. l. c. du. 8. n. 7.

26. Adverte Secundo. Si forte qui emittit ejusmodi votum pœnale non ludendi V. G. sub pœna, si luderet, dandi V. G. decem pauperibus, si forte [inquam] iussit cum inculpabili ignorantia, vel inadvertentia voti, vel, quamvis fuerit memor voti, immemor tamen inculpatæ fuerit pœnæ, non indigere commutatione pro hac pœna, quia pro illo casu non tenetur ad pœnam, excusante nimirum inculpatæ oblivione, quæ æquiparatur ignorantia.

27. Adverte Tertio. Commutationem, licet convenientissimum sit, non tamen est necesse, ut fiat in favorem ejus Sancti, vel Ecclesiæ, vel Pauperis, cui factum est votum. Item, opus non est, ut votum personale in actionem personalem, vel votum reale in realem commutetur: possunt hæc enim aliunde per prudens Confessarii judicium compensari, ut factis dictum alibi à nobis est.

b Lib. 4. in decal. cap. 16. §. 6.

28. Quæres cur n. 24. dictum modo est saltem quando Ecclesiæ, vel Pauper non accep-

tavit. ] Respondeo quia votum Reale de danda V. G. elemosyna Ecclesiæ huic particulari, vel huic particulari Pauperi, non ita certum est, an possit per Bullam commutari, quando fuit acceptatum à Rectore Ecclesiæ, vel ab illo Paupere. Non est ita [inquam] certum, si curi certum est commutari posse, quando nō est acceptatum, ideo addidi illud [saltem, quando &c.] Et nihilominus, quamvis communis doctrina dicat, tunc nō posse, quia per acceptationem iam Jus illi acquisiverunt, ut sustinet Sayrus, & aliique, tamen adhuc commutari posse, non improbable judicat Trullenc. d quia votum factum Deo, non acceptat legitime homo, sed Deus, cujus voluntatem Pontifex, qui dat Bullam, interpretatur.

Vide, quæ ad hanc sententiam confirmantur ex e Sagundez ego alibi dixi, cui nunc adde Ioann. f de Lugo.

QUARTA DIFFICULTAS. De Commutatione Voti Jurati.

29. Quarto, an Votum Juratum per Bullam commutari possit?

Respondeo, posse, non solum si Juramentū accedat ad votum jam factū, ut si quis dicat, Iuro, me servaturum jejunium, quod heri voti, vel, si accedat, cum fit, ut si dicat, Voveo, & Iuro jejunium. Verum si solum adsit Juramentū, ut Iuro me jejunaturum. Ratio est, quia nunc [ut supponimus] totum hoc Juramentum nihil aliud confirmat, nisi promissionem factā Deo. Quod si juramentum esset homini præstitum, tunc sane non posse per Bullam commutari, certum est, quia Bulla non respicit, nisi quod promissum est Deo, cujus voluntatis, ut diximus, interpret est Pontifex. Quare, cū in casibus propositis, illis non sint modo, nisi promissiones Deo factæ essent vota, quæ possunt per Bullam commutari. Ita Suar. g Pontifex. b Castrop. i Merolla k. aliique.

QUINTA DIFFICULTAS: De duratione potestatis commutandi Vota.

30. Quinto. Quamdiu durat potestas commutandi vota per Bullam? Respondeo. Certum est, durare per annum Bullæ, quod si Pœnitens nullum suum votū à Confessario commutandum petiit. Certum item est, non posse commutari post annum, quia potestas

a Sayr. Clau. n. 1. b. 6. c. 1. n. 13. l. 4. sum. c. 52. n. 7. d Trull. l. 1. d. 8. n. 2. e Lib. 3. de decal. 17. §. 2. d. 14. 138. c Bar. Bul. 11. 7. c. nu. 4. d. de de Be. 27. d. 165. c Sup. §. 4. n. g Suar. de Rel. l. 6. c. 14. h Pont. de matr. l. 1. c. 11. n. 4. i Castrop. 3. tr. l. 2. p. 1. k Merolla 2. d. 4. c. 6. n. 14.



potestas tunc jam spiravit. Sed propria difficultas illa hæc est, An, si pœnitens accedat ad te Confessarium ultimo V. G. die durationis Bullæ, petatque commutationem voti, tu vero sive quia es negotio alicui intentus, sive, quia vis libros, vel te doctiorem cōsulare &c. an [inquam] possis breviter sic pronuntiare? Ego tibi commuto ex nunc votum tuum ipsud in aliud opus, quod post aliquot dies ego, vel quidam doctus designabit.

Respondeo, Possè. Quia hoc modo dicere possumus, commutationem factam esse tempore durationis Bullæ, & solum designationem subrogationis fieri postea. Id quod non est uti Jurisdictione post tempus spiratum Delegationis, sed est exequi, quod tempore habili commutatum est. Ita Sanch. & alique quibus adde Leandrum, & ita, contra Andream Mendo, tener Bardr. &

Dices. Potest ne aliquis dicere, per solam petitionem commutationis voti fieri castitatem, & rem non esse integram [ut in simili supra diximus de Confessione incepta] unde possè commutationem finiri post elapsam Delegationis tempus? Respondeo. Mendo de Bulla affirmat, sufficere solum ejusmodi petitionem, ut possit dici causa cœpta; Sed certe eam solum sufficere, mihi difficile est, ut difficile fuit supra e meram petitionem Confessionis illam facere causam cœptam.

## §. II.

*Explicantur vota excepta in Bulla.*

1. **D**ecernamus nunc, quænam vota nequeant per Bullam commutari? Dico commutari non posse vota absoluta Castitatis, Religionis, Peregrinationis Ultramarinæ [qua voce, quasi per Antonomasiam intelligitur Peregrinatio Hierosolymitana] emissæ Devotionis causa. Idem dic de Juramentis, quibus prædicta observanda jurantur, quando nimirum per ea juramenta confirmantur promissiones Deo factæ; sunt enim etiam hæc reservata, quia tunc non sunt, nisi vota, ut supra dictum est: Promissiones, dico: nam, si quis per juramentum confiteri dumtaxat, sic, assertive. *Juro me habere, vel habuisse voluntatem, seu propositum conservanda V. G. castitatis.* cum sic non pronuntiat, sed enuntiet, juramentum est assertorium de præsentis, vel

præterito, non vero promissorium atque adeo votum non est.

2. Dictum est autem (vota absoluta) ut enim vota hæc tria excipiatur, ea intelligi debent, quæ sunt absolute, & perfecte talia, nulla ex parte deficientia. Id permixte notandum est, nam ex hoc excepta esse prima facie apparent, excepta tamè nequaquam esse, invenientur, ut jam ex Collariis, quæ colligam, palam fiet.

*Votum Castitatis diminutum.*

3. **H**inc enim Primo, votum non fornicandi, votum non se pollucendi, votum non nubendi, votum castitatis conjugalis, votum virginitatis præcise, idest consentientis in abstinentia primi actus luxuriæ, quatenus scilicet virginitas involvit corporis integritatem, votum integræ castitatis, sed ad tempus, ad quod rationabiliter præsumatur ætas hominis per vêturæ; vota, in quâ, hæc, quia sunt, castitatis diminutæ, non numerantur inter excepta, quare sunt per Bullam commutabilia.

4. Præterea votum Castitatis vere conditionale hoc V. G. modo emissum. *Voveo Castitatem, si convalesco, hoc est si à Deo sanitatem impetrabo.* satis probabiliter, etiam sanitate obtenta, non est ex exceptis, quia deficit à puro voto castitatis, quod illud in rigore est tale, & absolute, quod propter Dei cultum simpliciter fit, at hoc respicit motivum utilitatis propriæ. Cur autem dictum sit *vere* (conditionale) mox intelliges n. 11.

Idem satis etiam probabiliter dic de voto pœnali in hunc modum facto (*voveo V. G. non ludere, quod si ludam in pœnam voveo Castitatem.*) vel in hunc alium modum, non vovendo omissionem ludi, sed Castitatē in casu ludi, sic, *nolo ludere, quod si ludam, voveo Castitatem.* Idem dic (*inquam*) quia hæc non sunt pura vota Castitatis, sed relata ad tuum ludū. Faciunt ad hoc ea, quæ dixi supra §. 1. n. 2.

5. Denique votū Castitatis per partes emissum, cui tamen integro noluit vovens, se subijcere, huc reducitur, nec enim est ex exceptis. Voveri quis V. G. hodie, nolle assentiri pravis internis cogitationibus, cras voveri, se non fornicaturum, perendie se nolle actum impudicum externe peccaminosum habere; dico, hæc, singula non esse reservata, quia sunt vota diminutæ Castitatis, atque adeo esse per